



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia  
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

**Turner, Robert**

**Coloniae Agrippinae, 1625**

3. In laudem Philippi Hispaniarum regis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69519)

lacteus quidam candor ex vulnere efflueret sacrum-  
 que corpus in montem Synai angelico ministerio  
 honorificentissimè collocaretur. Tantumne? & viuæ  
 concessit Christus, vt quicquid quisque oraret se per  
 Catharinam id exoraret. Magnum istud priuilegium,  
 vt feminæ, inquam, magnum, vt amantis non magnū:  
 siquidem cum Deus hominem pendat voluntatis mo-  
 mento, tantumque ille huic tribuat facultatis, quan-  
 tum hic illi amoris: meritò certè Catharina accepit  
 multum quæ multum amauit. Quid hic finiam?  
 Quemadmodum ab amore tuo incepimus, sic in amo-  
 re tuo desinemus Catharina, rogabimusque vt quo  
 amoris priuilegio gaudes è cælo, eo vtatis in hoc ho-  
 die loco, nobisque exores à Deo omnipotente, vt qui  
 est parens huius Collegij, teque annuo hoc honore co-  
 lit, Illustrissimus Princeps Martinus, Dominus noster  
 clementissimus, is vertentibus sæpe annis, hunc tuum  
 diem possit videre atque colere, vtque studia, quæ  
 huius hinc liberalitate stant, quicquid stant; sic flo-  
 reant, vt optimus princeps possit ex hoc collegio in  
 hoc suæ liberalitatis & pietatis domicilio, illum me-  
 tere fructum, quem seuit Ecclesiæ, & Ecclesiæ sperat.  
 Vos autem quicumque adestis, Auditores, pro vestra  
 in Remp. pietate istud consentientibus vocibus, &  
 mentibus, mecum Deum per Catharinam orate.  
 Quid dico orate? Exorate potius. Nam Diua quic-  
 quid orat, ex Priuilegio exorat. *Dixi.*

*Apostro.  
ad Cath.*

## ROBERTI TURNERI

ORATIO III. IN LAUDEM PHILIPPI

Regis Hispaniarum, habita

Duaci.

**S**I diuinum numen hoc me sibi munere obligare  
 voluisset, vt quicquid conceptis verbis peterem,  
 id re consequi liceret, optarem non quod stultè  
 Midas, vt omnia, quæ sensibus vsurparem, in aurum  
 mihi

ORAT. III. IN LAVD. HISP. REG. 13

mibi conuerterentur; nec quod imprudenter Cleanthes, vt singula, in quæ oculos intenderem, clarissima solis luce collustrarentur; neque quod turpiter Epicurius, vt mihi ex humana concrecione ficto coelestium voluptates impartirentur, sed vt oratio mea haberet nescio quid exquisiti artificij, quo in aures vestras suauiter influerem; & vultus nescio quid latentis vis, qua quandam vobis oris suauitatem suffunderem; & animus nescio quid diuini luminis, quo vestras mihi mentes arctissima beneuolentia constringerem, nam cum hodie tam limata ac polita iudicia sint hominum, vt quicquid demum fluxum, nullaque arte deuinctum fuerit, illud fastidiosè repellant, & aures hominum tam teretes, disertorumque lectione tritissimæ, vt nullam dictionem, nisi fuerit illa eloquentiæ calamistris iniustæ, conquisitisque delicijs vndique exulta: patienter ferant; illis non dico aliquantulæ stultitiæ nota allini, sed turpissima impudentiæ labes aspergi debet, qui nec à natura instructi, nec dictione ex intimo artificio prompta perpoliti in oratorum celebritate versari audent. Quæ cogitatio hanc mihi sententiam impressit: fore me ab omni orationis inuidia integrum, si domi meæ nullam inanem gloriæ consecrans vmbra, quicquid habebam roboris, quicquid neruorum, quicquid eruditionis, illud in iuuentute priuatim informanda collocarem. Sed in hoc meo iucundissimo otio dum latito, ecce vobis aliquos ex schola nescio qua homunciones, ea vultus vestrisque conformatione, vt Socraticos putares; ea oris pectorisq; acerbitate, vt Cynicos iurares, qui nos vt obscuros acerbissima oratione perstringunt, & nulla ne leui quidē eruditione tinctos asperrimè exagitāt; vt sitiam in oratorum palæstram & spatia descendendum cum priuatæ existimationis discrimine, vel ab oratorum palæstra & spatijs discedendum cū publica collegij infamia, Quid igitur facerem, nisi quod ratio

*A comprehensione ratione exemplo rum.*

*Oratio S. Catharine.*

pra-

*Propo-  
sitionis  
pars:*

præscripsit piè & natura informauit iustè, vt ad communem infamiam delendam, omnem omnium inuidiam subeam, conuitorumq; aculeos valenti animo perferam. Pròdeò ergo in Solem, sed inuitus, vt verecundiam agnoscatis; venio in hunc puluerem, sed aliorum conuicio extimulatus, vt necessitatem aduertatis; descendo in hæc curricula dicendi, sed vt animo ab hac prouincia alienissimo, sic ad communem extinguendam inuidiam propensissimo, vt voluntatem probetis, in qua prouincia tanquam mea sparta exornanda, acerrima mihi mentis commentatione versanti, dum venit in mentem, si rem quæ vel propter leuitatem cuius è plebis face in medio posita, vel propter tenuitatem puerorum sermone protrita obsolescit, in auribus animisq; vestris defigerem, fore vt rei tenuitate iudicia offendantur leuitate, & aures violentur, statui Philippum Regem Hispaniarum Serenissimum, Philippum, inquam, illam virtutum omnium geminam expressamq; effigiem oratione meâ, quid dico oratione meâ: suis suis virtutum luminibus insigniter nobilitatum, non tam in auribus, quàm in oculis vestris collocare. Nam cum mens humana vel propter corporis concretionem, cui illigatur, vel propter flagitiorum consuetudinem, quibus imbuitur sic in res fluxas & caducas demersa fuerit, vt in illis, quæ nulla temporis spatia definient, nunquam aciem suam fixerit, fit vt tam diuini regis proposito exemplo, tanta caligine, qua mens antea obducebatur, discussa, in diuinam se contemplationem & commentationem penitus abdat.

*Digressio*

Neque in hanc dicendi viam ingressus sum, eo animo, quod Philippi laudes, quæ totius orbis oras longè lateq; peruagatæ, nullis terminis circumscribi possunt, meæ orationis finibus includi posse arbitrer, aut quod orationem meam sine Demosthenis artificio, solutam, sine Aeschinis aculeis languidam, sine Isocratis suauitate asperam aures vestras aliqua voluptate delinere

ORAT. III. IN LAVD. REG. HISP. 15

nire posse putem, sed hoc potissimum nomine, quòd cum omnia ferè suorum Mæcenatum laudes personet, siue animi quædam pia inductio exegerit, siue officij ratio necessaria extorserit, vt Philippus, à quo omnes & spirandi & sperandi rationes suspensas habemus, non suis iustis coloribus effingatur, sed certis quibusdam lineis nostro more adumbretur.

Quod si quorundam mentes ita fuerint maleuolentiam erga nos suffusæ, odioq; teterrimo infuscatae, vt quia in re tanta nihil aut artificio, quod quidem emineat, elaboratum: aut iudicio, quod quidem eniteat, tersum adferam, id in me acerrimè reprehendat: reliquos tamen ea & humanitate poliuuit natura, & mentis suauitate excoluit doctrina, & morum eloquentia asperfit consuetudo, vt iustiozem mihi causam esse loquendi, officium: quàm tacendi, tenuitatem cogitantes, de regis laudibus breuiter perorantem, patienter excipiat.

Si qui sint vel cæco mentis errore transuersim acti, vel virtutis specie illustrissima falsò illecti, qui nihil imaginibus, nihil sanguini, nihil ipsi generis propagationi tribuendum esse censent, ij si nullius regni habenas, præterquam iis, qui ex illustri aliqua familia promanarint, omnium ætatum gentiumq; consensione cõmissas animaduertent: si nullum vnquam coruum, aquilæ: aut asinum, leonis: aut canem, leopardæ satum conceptum viderint: si nunquam ex lauro sentes, ex oliua glandes, ex lilio vrticas effloruisse perspexerint, denique si Philippi ex illustrissimi Imperatoris Caroli sanguine efflorescentis virtutes animo & cogitatione obiuerint, quid habeat momenti, & ad vitam piè traducendam, & virtutis viam studiosè persequendam, & Reip. summam iustè administrandam generis splendor paterniq; sanguinis insita vis facillimè videbunt. Nam etsi Philippi vita ita omnibus virtutibus tanquam stellulis quibusdam distincta fuerit, vt dum il-

*Ab ipsius  
laude &  
virtutib.*

lucta

lum vel Regem Hispaniarum omni honoris genere insignitum, vel Austriae Archiducem fortissimorum militum, praesidio munitum, vel Tyrolis Principem bellici instrumenti copia instructum, vel Mediolani Ducem ingeniosissimorum stratagemate pollentem, vel Flandriae Comitem nobilissimorum amicitis florentem, vel Indiae (prope dixeram) Imperatorem omnibus diuitiarum copiis circumfluentem appellauero, non tam eius nomen hisce titulis & ornamentis honestare, quam istos titulos & ornamenta eius nomine nobilitate videar; tamen si illum Caroli semine ortum, & Austriaco stemmate illustrem dixerem, tantum videar de illo pronunciaſſe, quantum diuinus Homerus de Agamemnone, dum Palladis; aut fulgurans Virgilius de Aenea, dum Veneris; aut suauissimus Ouidius de Augusto, dum Iouis; aut sedatissimus Statius de Achille, dum Martis; aut reliqui Poetae, de praestantissimis viris, dum Deorum illis genus & sanguinem affingerent. Ea namque antiquissimorum mentes imbuerat sententia, tantam in generis ratione, & sanguinis ipsius natura insidere vim, vt nihil ab eo edi praclarum, ac ne statui quidem; nihil ab eo statui pulchrum, ac ne cogitari quidem, nihil ab eo cogitari magnificum, ac ne sperari quidem, cuius nomen & genus a Dei aut praestantissimi alicuius viri profapia non fuerit deriuatum: neque haec cum dico, id intelligi velim, quod aliquam ponerem, & aut in Poetarum commentis veritatem, aut inanium Deorum opinione religionem, aut antiquitatis anili superstitione diuinitatem, (quanquam & Poetarum commenta solent veritatis, & deorum opinio potest religionis, & antiquitatis superstitione debet diuinitatis quandam rationem praeseferre) sed vt antiquorum auctoritate id eliciam, fuisse in omnium gentium mentibus, etiam earum, quas vel foedissima morum barbaries infuscavit, vel inanissima Deorum superstitione obstrinxit, sententiam  
 quan-

quandam de generis nobilitate plenam honoris & obseruantia inlitam, & quasi profeminatā: id quod Philippus (Philippū cum dico, quicquid est aut in honore splendoris, aut in religione sanctitatis, aut in vita puritatis, aut in ingenio acuminis, cum Philippi nomine & notione comprehendo) id quod, inquam, Philippus vel naturæ quadam infra vi, vel quadam diuini numinis implicata ratione sensisse videbatur, cum Concilij Tridentini Patribus illum ad Ecclesiæ partes fortiter suscipiendas adhortantibus in hanc sententiam responderit, quid? si ad illorum quos foedissima hæreseos labes infecit, vires conuellendas, & eorum quos miserrima Mahometanæ sectæ pestis infecit, neruos elidendos: si ad illorum nequitiam, horum furorē comprimendum; illorum plusquam diabolicam vefaniam, horum plusquam barbaricam immanitatem contundendam omnes ingenij mei vires non effunderem, non ego à sanctiss. Domin. familiæ patre Domin. à Soto Catholica religionis sinceritate imbutus, sed turpissimæ hæreseos sordibus à nequissimo Caluino, aut Beza nescio quo oblitus: non ego inter Hispanos in castissimo Ecclesiæ matris sinu educatus, sed in Bohemia inter teterrima hæreseos monstra & prodigia enutritus: non ego ex Caroli inuictissimi Imperatoris sanguine affluxisse, sed ex Lantgrauij alicuius tenebricosa familia extractus esse merito censendus sum: videtis cum sit res plena virtutis ac diuinæ gratiæ, religionis puritatem cum lacte matris suxisse, ac tota penitus mente combibisse, quanta sit etiam in sanguinis vi virtus impressa, & generis propagatione infixæ ratio, vt hoc vno exemplo eorum, qui nullam vim in generatione positam esse arbitrantur, oratio penitus infringatur. Videor fortasse vobis eandem viam vestigiis meis imprimere, quam in Scauolæ laudibus prædicandis triuisse aliquando Lyfiam antiquorum monumentis consignatum legimus, qui in maxima

*Ab animi  
in euellendis  
hæreseos  
vires fortitudine.*

b

populæ

populi corona, frequentissimaq; nobilitate id tantum summa lateris firmitate ter inclamarit, & ex Gracchorum familia ortus est, quanquam ego non tam Lysia exemplo incitatus, quam multo iustiora ratione fultus, officij mei partes me expleuisse arbitrarer, si tantum auribus vestris, Philippum ex Carolo effluxisse, inculcaro; tamen aduertite, quam luculentum testimonium diuinæ virtutis Philippo dederit: quis? Carolus: at quando? tum, tum cum contritis mundi honoribus, confixis carnis illecebris, & cacodæmonis elisis viribus, in solitudine sanctissimus, cum monachis religiosissimis, numine coelitus in eius se pectus insinuante impulsus reliquum ætatis suæ curriculum conficere in animum induxisset, cum in terris adhuc hærens in coelis versari, & in corporis compagibus inclusus, ad coelitum se societatem agglutinare voluisset, vt hæc vox non tam ex Carolo, quam ex Deo effluere videatur, nam cum omnes Carolum ex Sodoma ad Ierusalem, ex Babylone ad Syon iam iam exiturum retardare conarentur, & singuli nobiles sordidati suum Regem; Gandauenses in squallore iacentes suum Principem; plebeij lachrymis perfusi suum dominum; stipendiarij luctu squalentes suum Imperatorem his aut non dissimilibus vocibus persequerentur: quid? Carole, quid nos deseris? an tu indignus tanto imperio? nihil minus: sed nos in omni flagitiorum cæno volutantes indigni tanto Imperatore: quid Carole, quid nos deseris? Turca naturæ quadam immanitate efferatus, & infito quodam Christiani nominis odio inflammatus iam insanire, furere, agros depopulari, templa depeculari: serua te Christianis: hæretici odij & ipsius Satanæ furiis concitati saga sumere, diuorum Deiq; imagines comminuere, monachorum cæde omnia funestare, Ecclesiæ fundamenta labefactare: serua te Ecclesiæ. Franci sui regni proferendi incredibili desiderio flagrantem,

*Luctus  
populi ob  
Carolum  
abitionē  
parantem*

*Subiectio*



grantes, & victoriæ per te toties ab illis reportatæ vindictam acerrime expetentes nostris ceruicibus immi-  
nere; serua te nobis: Henricus Angliæ Rex eius nomi-  
nis octauus, tyrannus eius nominis primus, Henri-  
cus, inquam, illa Reipublicæ suæ pestis, religionis la-  
bes, bustum bonorum, monachorum atq; adeo Catho-  
licorum omnium carnificina, tuæ gloriæ per totum  
iam orbem dilatatæ inuidia misere extabescens famam  
lacerare, virtutem contemnere: generosum tuum ani-  
mum timiditatis macula notare, honori tuo, gloriæ  
tuæ, te tibi serua: in tantis tot hominum clamoribus  
partim stultitiam perstringentium, partim Reipubl.  
utilitatem inculcantium, quid fecit? his vocibus flecti  
potuit, vt fuit misericors, sed à proposito auerti nō po-  
tuit, vt fuit constans: his clamoribus tanquam mœstia-  
tiæ signis sublatis pungi voluit, vt decuit virum, quem  
natura asperferat humanitate, sed retardari voluit, vt  
decuit virum, quem Deus afflarat diuinitate: respondet  
ergo, vt ad tantum leniendum dolorem prudentissimè  
sic de filij laudibus diuina iam luce collustratus veris-  
simè, quin meis auribus opplorare desinitis? quin tan-  
tis clamoribus modum præfinire pergitis? si Regem  
quæritis, Philippum vobis relinquo potentissimum:  
si Reipublicæ propugnatorem, Philippum vobis præ-  
dico acerrimum: si desideretis qui & stratagemate  
Turcam, & viribus hæreticum frangat & debilitet,  
quis illius calliditatem prudentius irretire, vel huius  
vires valētius armis cōprimere possit, quàm Philippus?  
at est fortasse in Caroli nomine & aspectu, quod & oculo-  
s vestros iucūditate pascat, & aures voluptate perfun-  
dat, en vobis tum in Philippo solidā & expressam Ca-  
roli imaginem, vt si omnia ornamenta, quibus Rex in-  
structus; vel virtutes, quibus Christianus cumulatus  
esse debet, mentis notione comprehendatis, nihil pos-  
sit ne cogitando quidē informare, quod in Philippo,  
tanquam in clarissimo quodam speculo, non elucescat.

Tyrannus

Interrogatio.

ô luculentum luculentæ virtutis præſagium! nam ſi omnes Philippi actiones acerrima mentis acie pertentemus, glorioſæ apparebunt, vt à fortiffimo inſtituta; ſi cogitationes, ſincerae, vt à ſanctiffimo informatae; ſi conſilia, toti Reipublicæ vtiliffima, vt à Deo inſtillata meritò videantur: ac ne omnes virtutes, quibus adoleſcens florebat & plurimis & maximis, oratione meâ peragerem, quantam in arduis rebus obeundis animi magnitudinem, quantam in Republica tuenda charitatem, quantam in conſilio capiendo prudentiam ſemper præ ſe tulit; illa pugna, quam cum Henrico Rege Galliarum in Veromanduis commiferat, ita loquitur, vt illo die non tam cum hoſtibus feliciffimè collata ſigna eſſe dicantur, quam ſuæ in Deum pietatis, & Dei in illum amoris toti orbi clariffima ſublata ſigna eſſe putentur: nam cum in rebus humanis illud maximum ſit, æquis partibus cum hoſtibus conſerta manu dimicare, quantum illud fuit cum copioſiffimo milite rarum, cum ſelectiffima manu promiſcuam, cum equitatu & peditatu inſtructiffimis equitarum non ita multum conflixiſſe? quantum illud fuit? ſingularis animi virtutis fuit, & Philippi fuit: quantum illud fuit non ſolum cum tanta vi tantillam turbam conflixiſſe, ſed tantillam turbam tantam vim proſtraſſe & obtruiſſe? quantum illud fuit? incredibilis ſollicitatis fuit, & Philippi fuit: quantum quantum illud fuit magnum Gallia dictatorem fere dixerim Montmorantium, clariffimum totius Gallia Ducem Montpenferium, Comitum Ringrauium illuſtriſſimum, Mareſcallum Diui Andreae bellicoſiffimum, alios per multos Francia Principes bello fortiffimos, virtute lectiffimos, ductu vnus Principis & Comitum, & ad deditonem vi compulſiſſe, & in poteſtatem armis redigiſſe, quantum illud fuit? Philippi proſecto fuit, teſtantur Annales: ſed tantum fuit, quantum ne Marcus quidem Tullius, ſi ab inferis

ORAT. III. IN LAVD. REG. HISP. 2

inferis excitatus hæc subsellia occuparet, dicendo con-  
 sequi potuerit, cum tantæ & tam diuinæ virtutis  
 splendore humani ingenij acies penitus perstringa-  
 tur. Res alias bello ab illo gloriosè gestas, si oratio-  
 ne persequi conarer, vel naturæ ordinem infringe-  
 rem, qui paria illustrarem paribus; vel artis profe-  
 ctò legem imperitè violarem, qui minuta magnis,  
 aut obscura clarissimis substituerem; etsi enim in to-  
 ta sua vita omnia ea fortitudine gesserit, & ea pru-  
 dentia digesserit, vt non tam vitæ, quàm gloriæ con-  
 fecisse curriculum videatur, tamen reliquæ eius a-  
 ctiones, etiam quæ enitent maximè, si cum illa vi-  
 ctoria conferantur, obscurabuntur, ne dicam ob-  
 solescent: neque est cur quisquam vel hæresi obstri-  
 ctusteterrima, vel tantæ virtutis odio incensus acer-  
 rimo, tanto Regi, vel ignauitæ, vel timiditatis,  
 (quam ego vocem à quibusdam audiui) infringat,  
 quod dum Belgium intestinis contentionibus desti-  
 neretur, & maria sua Barbarorum audacia & furore  
 infestarentur, & omnes fere Christiani orbis fines  
 Turcarum immanitate vastarentur, multos iam an-  
 nos ille in suauissimo Hispaniarum otio delituerit,  
 cum à victoriis ea gloria relatis, vt Cæsarem diceres,  
 & bellis eo animo commissis, vt Annibalem pu-  
 tares, ineuntis suæ ætatis commendationem duxe-  
 rit: in quibus persequendis, qui singula tantum te-  
 tigi, fusiozem ego orationem ponerem, si Alexan-  
 drum aliquem cicatrices toto corpore exceptas iacti-  
 tantem furiosè non Philippum rebus Christianis pro-  
 stratis iam & afflictis toto pectore consulentem, proin-  
 de, si Leonem aliquem aut Elephantum ex immani  
 quadam feritate coagmentatum, non Regem omni-  
 bus præclaris virtutibus mirabiliter insignitum, ora-  
 tionis meæ penicillo vobis depingerem: qui si in Hi-  
 spania lateat, hæreat, commoretur; sic latet, vt totam  
 Ecclesiam labantem, iam peneq; præcipitatum potentia

*Res gestæ  
 Philippi  
 Regis.*

sua sustentet; potentiam admiramini: sic in Hispania hæret, vt Belgium luculentissimis vulneribus ab hæreticorum manu concisum sua prudentia suffulciat; prudentiam veneramini: sic in Hispania commoratur, vt Turciæ genti tam prorupta audacia efferatæ, vt nihil exhorrescat, horribilem quendam timorem nominis sui gloria incutiat; tantam nominis gloriam obstupescite: sic denique Hispaniæ finibus inclusus viuit, vt res ab illo bello fortiter gestæ nullis tantæ molitionis finibus inclusæ, vbi que fere peruolent: lateat ergo, dirumpantur licet omnes hæretici, sibi gloriose, nobis foeliciter, dummodo Remp. Christianam tot utilitatibus amplifcet, non enim latitat, (quid furis hæretice?) quod gliscentium gladiatorum acies reformidat, aut furentium hostium impetus pertimescit, sed quod cogitat sine turpissima conscientiæ labe Regem Hispaniarum, Flandriæq; Comitem in tantis hostium insidiis, in medios hostium enses non posse irruere: quod cogitat esse à generoso animo alienum, illas ceruices, quibus Remp. & Ecclesiam sustinet, Maurorum crudelitati, hæreticorum furori, & Turcarum immanitati subire; quod cogitat, idq; cum Scipione prudentissimè, se Regem esse natum, qui cæteris belli pacisq; iura describat; non stipendiarium militem, qui in arenam cum hoste furiosissimè descendat: fortitudinem audiuiſtis, prudentiam perspexiſtis, reliquas iam virtutes, quibus vel illum illustrauit Deus, vel excoluit doctrinā, si cum animis vestris diligenter cōsideretis, non aliquem ex humana natura concretum putabitis, sed angelicam quandam naturam in hominis pectus commigrasse obstupescetis. Si in omnium rerum descriptionem modumq; affabrè designatum mentis nostræ notionem infigamus, singulis rebus singulas virtutes indidisse, latentiq; quadam vi implicasse Deum; oculis plusquam lynceis perspiciemus, vt herbæ suam, lapides suum, suum arbores, suum homines munus, tanquam

*Digressio  
laudis.*

virtu-

virtutem quandam, à diuino numine impressum habere non solum dicantur ab antiquis inani superstitione conflictatis informantē natura, sed credantur à nobis sacro iam fonte perfusis instillante Deo. Vnde vsu venit, vt quemadmodum herbam herba, aut lapidem lapide præstantiorem esse firmissimo rationis momento colligimus, quod præstantiorem sibi virtutem & vim insitam habet, sic illum hominem ceteris omaibus diuiniorem esse eadem rationis firmitate extorquemus: qui fortitudinis, prudentiæ, temperantiæ laudibus ceteros antecellit; & iustitia ita excellit, vt Dei expressam quandam solidamq; effigiem, (nam Dei ornamentum iustitia dicitur) præ se ferre videatur: quod dum cogito, inducor, vt non solū præ Philippo omnia Gracchorum, Camillorum & omnium hominum ornamenta fordere putem, sed etiam, vt illum Deo quadam naturæ similitudine & cōmunionē deuinciri arbitrer, vt qui adolescentiæ cursum ea simplicitate, sine hypocrisis: ea sinceritate, sine simulatione: ea sanctitate, sine fūco: eo veritatis studio, sine fraude transegit, vt Iusti cognomen suis meritis fuerit affecutus: id quod Guilielmus Zenacorus militiæ auratæ eques illustrissimus: ille à quo Caroli Quinti vita, mores, res præclare gestæ orationis nitore satis terso, ingenij acumine plane diuino illustratæ fuerunt; satis superq; indicauit, qui nunquam Philippi mentionem fecit, (facit sapissimè perhonorificam) quin Iusti cognomen attexuerit, quasi historia sua mendacij labe contaminaretur, si Philippum iustitiæ laude non commendatum semel suis scriptis non attexuisset, præsertim cum sanctissimus Papa Philippum iustum prædicaret, sincerissima plebs Philippum iustum loqueretur, & frequentissima theatra Philippum iustum personarent: Omnia circūspicite, singula animis diligentissimè lustrate, an non illud Concilium Tridenti indictum, ex tot sanctissimis Patribus

*Adolescē  
tia bona  
felix to-  
tius vitæ  
cursus.*

ad hæreticarum sordium sentinas penitus exhaurien-  
 das conflatum, spiritu coelitus in illorum mentes de-  
 fluente mirabiliter illustratum, an non illud Conci-  
 lium Philippo iustitiæ theatrum quoddam proposi-  
 tum esse videtur? qui toties per legatos Patribus signi-  
 ficavit, hanc sibi sententiam insculptam esse, non alio  
 se nomine tot Asiæ, tot Italiae, tot Belgiae, tam opulen-  
 tis Hispaniæ & Indiæ regnis, tot tantarum gentium  
 ibiq; ferè diffusis imperiis Deo immortalis amplifica-  
 tum esse, quàm ut inter tot hæreticorum aperto quo-  
 dam furore grassantium, si eas, & tot Catholico-  
 rum turpissimo otio languentium nimis (proh do-  
 lor) nimis securas cogitationes, Reipubl. & Eccle-  
 siæ partes fortissimè sustineret: at quantas (quæso)  
 acerbitates in collapsis Ecclesiæ muris reficiendis ani-  
 mo quanto deuorauit? maximas maximo: nolite iam  
 cogitare (id quod apertissimum) Angliam crudelis-  
 simis hæreticorum manibus miserè dilaceratam, altis-  
 simis vulneribus immanissimè confectam, & Luthe-  
 ri exhausto veneno penè extinctam, illius auspiciis, &  
 Mariæ Reginae, sacratissimo Diuæ virginis nomine  
 dignissimæ auxilio Ecclesiæ iterum septis inclusam  
 in eius gremio, tanquam in portu, delituisse, usque  
 dum hæc omnium: nolo dicere, ne dum Regis sanctis-  
 simi laudes persequor, spurcissimæ mulieris nomine  
 & sordibus aures vestras polluere videar: nolite co-  
 gitare (id quod clarissimum est) hæreticorum cona-  
 tus in vestram Belgiam nefarios ab illo fuisse retar-  
 dados, consilia in vestra capita immanissima, ab illo  
 fuisse dissipata, vires in vestra viscera comparatas ab  
 illo fuisse profligatas, penitusq; attritas, nolite (id  
 quod omnium sermone peruagatum est) nunc cogi-  
 tare eorum, qui Pictauij Bezae commentis, tanquam  
 diuinis placitis sese dicarunt, audaciam ab illo fuisse  
 refutatam, vnoq; die Regem infantem à mortis certis-  
 simo periculo in vitam optatissimam; & Franciam mise-  
 ram

ram ab incendio præsentissimo in salutem promptis-  
simam; & Ecclesiam laceratam à tenebris obscurissi-  
mis in lucem clarissimam fuisse vindicatam, nolite  
(inquam) hæc cogitare, sed hinc hinc mentis vestrae  
aciem defigite, quantam operam fixit, quantos inge-  
nij neruos contendit, ne illa hæreseos contagio, quæ  
se ferè per omnia loca dilatauit, ad Hispaniæ oras per-  
maneret: nam dum hæreseos naturam tam esse ad ma-  
litiam & dolum fictam esse animaduertit, vt quæ aper-  
ta vi in animos hominum non possit irrumperere, ea  
vel religionis sinceræ integumento inuoluta irrepe-  
re, vel Euangelicæ libertatis adulterina specie, tan-  
quam velo quodam, obtecta in illorum mentes in-  
fluere soleret. Hispanicam (timidè dico, nam hæreti-  
cum audio huius nominis odio tanquam Erynni  
quadam percidum.) Hispanicam (audacter dico, nam  
Catholicum video huius vocis suauitate incredibili  
perfusum) Hispanicam (inquam) inquisitionem eo-  
rum conatibus & insidijs obicem, & tanquam aper-  
tum quendam murum obiecit, id est, viros in perab-  
strusis sacrarum literarum recessibus contritos, qui  
longo vsu sapientiæ; acerrimo studio, doctrinæ, stu-  
diosis actionibus, sanctitatis, sincera vita, religionis  
clarissimam famam collegerunt: quasi in speculis col-  
locauit, qui Catholicam religionem, quæ in Hispania  
semper dominata est, altissimis radicibus defigerent,  
& quicquid in eius visceribus insideret sordium hæ-  
reticarum, stirpitis eradicarent: maxima profectò  
hæc sunt, & talia, quæ certissimo diuini spiritus auxi-  
lio neæti videntur, sed maiora tamen ista, quod sui  
auunculi Ferdinandi, Patrisque Caroli vestigia per-  
secutus, crucem nostræ salutis signum nobilissimum,  
Christi in nos amoris monumentum clarissimum,  
ipsius mortis plagam luculentissimam, victoriæ ab  
inferis reportatæ indicium longè iucundissimum, in  
omnibus ferè Indiæ partibus, quæ dæmonum do-

*Hispania  
hæresi ex-  
pers, &  
cur.*

*Crucis  
Christi  
Indiæ  
tonneris.*

lis, vanaque superstitione irretitæ antea extabuērunt, extulerit, & ita extulerit, vt vitam Patribus qui Societati Iesu sanctissimæ nomen dederunt, ad erroris nubem barbarorum mentibus dispellendam, Christi que semina inferenda, pecunia, consilio, armis munierit; in quorum pietate & sanctitate tantum sibi præsidij ad barbarorum vel mentes in officio continendas, vel animos religione imbuendos collocatū putauit, vt cū ad aures eius increbuisse, Anglos quosdam in Indiam se eo animo traiecisse, vt Ecclesiæ apud illos in cunis vagienti, confusionem Babylonicam; & Christi Euāgelio, Caluini commenta opponerent, ille animo constantissimo & diuini numinis pleno dixerit, Si duodecim tantum Apostoli omnium hæreseon neruos eliserint, & euulso penitus errore Catholicæ lucis splendorem per totum orbem diffuderint, tot Patres sanctissimo Iesu nomine consecrati, & Apostolico spiritu verè instructi, istorum hæreticorum insidias & furorem facillimè dissipabunt: etsi omnis oratio tantis tantorum Patrum meritis inferior esse solet, nihil tamen profectò ad solidam illam & veram gloriam, quam in virtutis & religionis studijs collocatam omnibus neruis consecretantur, tam diuino diuini regis testimonio illustrius potuit accidere; vt mirer monstra nescio quæ esse, quæ sparsis schedulis (vah pudor) & conuitio ex triuijs arrepto (proh dolor) illam Societatem diuini regis voce confirmatam, & illustrissimo Iesu nomine consignatam, vt superbia & ignauia torpescentem configant: quid? tu illis qui perditos Calvinistas enses in Ecclesiæ iugulum distringentes, odium in Dei imaginem euomentes, & in sanctissimam Virginem furorem fulminantes, labore, vigilijs, studio comprimunt, tu illis negligentia, & dissidia notas inuuleris? stultam vocem, & blasphemiam in Deum ipsum plenissimam: tu illis, qui vultu simplicitatem, veste simplicitatem; factis simplici-

*Patres  
Societatis  
nomine Iesu  
consignati.*



plicitatem semper præ se tulerunt, qui quandam  
 modestiæ & puritatis officinam instituerunt, tu illis  
 superbiæ & arrogantia maculas asperseris? vesanam  
 mentem, & odio, non dico Vatiniano, sed penè dia-  
 bolico infuscatam, sed Patres defendo, non regem  
 laudo; at Patres deendere, quid aliud est quam re-  
 gem laudare, cum tantum videatur de regis virtuti-  
 bus posse imminui, quantum cæteri volunt delibari,  
 vel de Patrum sanctitate, quam ille prædicat sum-  
 mam; vel religione vera, quam ille decantat sin-  
 gularem nam cum Philosophi, qui in moribus ad  
 virtutem fingendis sedulo versati sunt, omnes ho-  
 mines ijs moribus quibus illi, quos vel amore profe-  
 quimur, vel oratione decoramus, imbutos esse iu-  
 dicent, ego profecto Philippum non solum quòd  
 in Patres pietatis laude excellentes summo animi in-  
 clinatione propenderit, sed etiam quòd Belgas sum-  
 ma benevolentia præ cæteris sit complexus, sanctif-  
 simum semper sum arbitratus: ac ne videar plus ad  
 aurium voluptatem, quàm rei veritatem loqui;  
 an quicquam potuit esse ad suam erga vos inuolutam  
 animi notionem declarandam illustrius, quàm quòd  
 Belgicos legatos summa humanitatis & beneuolen-  
 tiæ specie comprehenderit, quòd apud Belgas suos  
 domicilium suum collocare ardentissimis semper vo-  
 tis exoptarit, quòd Belgarum se sanguine ortum glo-  
 riosissimum sibi duxerit: ut cum vos propter incredi-  
 bilem quendam in illum amorem videamini dignissi-  
 mi tanta propagine, ille quoque propter singularem  
 quendam in vos benevolentiam videatur non indig-  
 nus tanta origine: at si communia hæc sint hominis in  
 hominem officia, diuinum profecto illud vobis videri  
 debet beneficium quod Duacum academia, academiã  
 collegio collegium suo nomine nobilitauit, ne foris  
 proficiscentes hæresi obsolesceretis, & Duaci hæren-  
 tes politissimæ literaturæ, subtilissimarum artium,

*Refuta-  
tio.*

& purissimæ religionis haustis simul fontibus gratam patriæ, Ecclesiæ fidelem operam semper nauare positis : nec est cur quisquam de tanti regis laude aliquantulum decerpat, quod collegium suo nomine donatum beneficio ampliori non cumulet, & forma turpi horridum non perpoliat, næ ille à vero rectoq; sensu rem non iudicans, non perspicit, regis cogitationes, quæ per totam Ecclesiam ad illam propagandam, & totam Belgiam ad illam propugnandam sunt diffusæ, in tantas vnus collegij angustias non posse conijci: at non desunt, qui nobis ignominiam & infamiam infligere conantur, quod parietibus squalentibus inclusi, tanquam in Diogenis antro, id est, (vt illi interpretantur) in obscuro loco latitantes obscuri sedem nostrarum fortunarum fiximus, cum rem diligentius considerantes nobis splendidius esse duxerimus in Philippi sordidis ædibus, & regis tanquam Cynici (si dijs placet) dolio animos habere ab omni inuidiæ labe immunes; quam illis, in splendidis suis rectis animos habere plusquam Cynicos, & sordibus nescio quibus obsoletos: sed ne oratio mea plus olete videat de Aristippi schola, aut Rami gymnasio, (quorum alter scurrarum facetissimus, alter Zoilorum asperrimus omnes orationibus suis aculeatis pupugerunt) quam de Aristotelis Philosophi sedatissimi Lycezo, aut Christi præceptoris humanissimi palæstra, ad vos, vos, (regij collegij summa humanitate adolentes, summa indole scholastici) orationem meam inlecto, si vestra studia retardet, quod in lacera; hoc vobis animos faciat, quod in regia domo, Musis vestram operam dicauistis; sic sic statuite, cum sit angusti, & in terram depressi animi, in summo nitore sordere; esse generosi, & maxima consecrantis, in summo nitore splendere. Neque animos despondere debetis, si aliorum existimationem conuicio non vexemus, si præceptores nostros, cudendæ linguæ insignes artifices,

&

ORAT. III. IN LAVD. REG. HISP. 29

& earum rerum, quæ à natura inuolutæ sunt, acutissimos venatores, vobis non adumbremus, cum omnes malimus esse, suauiter obscuri latendo, quam malitiosè superbi latrando; & piè inscientes videri tacendo, quam stultè arrogantes, nostras laudes prædicando. Qui si non habemus quem vobis prædicemus Mæcenatem miselli, nec quem vobis ostentemus munificum, subdoli, quid torpetis? an non habet hoc collegium, non dico regem authorem, qui nos nomine suo tanquam patrociniò defendat, sed senatum fautorem, qui nos sua beneuolentia & humanitate, tanquam alis quibusdam foueat; & cum moderatorem in quo possitis & experiri piissimi propensissimam beneuolentiam, & colere sanctissimi admirabilem gravitatem, & adamare humanissimi mellitissimam suauitatem, & venerari iustissimi incredibilem sinceritatem: quæ ideo dico, non quod suis audiendis laudibus tam auidè inhiat, quam, vt omnibus videatur dignissimus, enixè contendit; sed vt gaudeatis talem & tantum virum vitæ morumque leges vobis indicere, seu potius exemplo tanquam intento digito, quæ sit in illam æternam patriam omni voluptate & foelicitate fluentem, trita via indicare. Sed Philippo iniuriam facio; qui dum in istis orationem nimis fortasse longam figo, illas illius non infimas laudes tempore tam exclusus, transilice cogar, quod precum horariarum (quas vocant) pensum diligentia, qua sacris mysterijs consecratus: ardore, quo monasticæ vitæ legibus astrictus, & studio, quo vir diuino spiritu afflatus, quotidie persoluat: vt Turca cum audiisset, illum prole fuisse auctum, furijs tanquam Orestes Tragicus concitatus, summis lateribus fuerit vociferatus; Philippus vel viuus virtute, vel mortuus renouata prole nos in arctissimos Asiæ cancellos compinget, & sui Nazareni Ecclesiam tot vndique fluctibus conquassatam denudò excitabit. O suauissima Christianorum mater

*Ecclesia  
Dei in  
miserijs  
flore.*

Eccle-

Ecclesia, si eo te munere Christus non illustrasset, vt  
 in miserijs floreres, in tenebris luceres, in sanguine  
 clareres, & hostium vel vi vel victoria triumphares,  
 tamen hoc te nomine vel felicissimam duxero, quod  
 rei apertissima veritas ab hoste tuo immanissimo  
 hanc vocem elicuit, fore vt labefactata opem & ob-  
 scurata lucem, & vulnerata medelam, & superata vi-  
 ctoriam Philippi vel vi, vel prole consequerere. O Phi-  
 lippe charissime Ecclesie fili, si ijs te virtutum insigni-  
 bus non honestasset Deus, vt & propter generis clari-  
 tatem qua splendes, & fortitudinem, qua bella geris, &  
 prudentiam, qua pacis negotia noctis, & religionem,  
 qua Indos illustras, & charitatem, qua Sanctissimos  
 Societatis Iesu Patres: & Belgas tuos comprehendis,  
 omnia antiquae virtutis exempla superes, tamen hoc  
 vnico tuae in Ecclesiam charitatis testimonio à Tur-  
 ca extorto, ea gloria floreres, quam nulla temporis  
 circumscriptio metietur: & ea virtutis fama vigeres,  
 quam ipsa immortalites excipiet, seu potius quae ip-  
 sam immortalitatem exhauriet: vt si ego reliquas tuas  
 laudes oratione mea terminare conarer: Chorabi  
 profecto personam viderer induisse, qui maris  
 longe lateq; patentis infinitas agitatio-  
 nes certo numero compren-  
 dere aggressus fuerit.

*Dixi.*

